DISCVRSVS

R. P. D.

PROSPERI DE LAMBERTINIS

Sac. Conſiſtorialis Aulæ Aduocati

IN QVO

PRO

Veritate examinantur vires inſtantiæ apud Sanctiſſimum D. N. CLEMENTEM Papam XI. promouendæ à Religione Fratrum Minimorum S. Franciſci de Paula, vt ipſius Generali, ac Procuratori Generali locum aſſignare dignetur in ſua Pontificia Cappella.

CHA RI TAS

1879

Typis De Comitibus 1716

Digitized by Google

Digitized by Google

1 CVM Fratrum Minimorum Sancti Franciſci de Paula Religio ſupplices intendat Sanctiſſimo Domino Noſtro CLEMENTI Papæ XI. preces exhibere, vt ipſius Generali, & Procuratori Generali locum aſſignare dignetur in ſua Pontificia Cappella, ad inſtar Generalium, & Procuratorum Generalium nonnullarum aliarum Religionum, qui in dicta Cappella obtinent locum, & Eminentiſſimus, & Reuerendiſſimus Dominus Cardinalis Annibal Albanus prædicti Ordinis Minimorum vigilantiſſimus Protector mihi demandauerit, vt inſtantiæ vires pro veritate examinarem.

2 Facili profectò negotio mandatis morem gerere poſſem, humillimè inſinuando, quod loci in Pontificia Cappella aſſignatio prædictis Generali, & Procuratori Generali à puro, & ſimplici Summi Pontificis arbitrio dependet, cùm illa nihil aliud ſit, quàm Ius quoddam honorificum, cuius collatio vnicè Principis adſcribitur beneuolentiæ. Hinc Marcus Terentius Eques Romanus Tiberio inquit Imperatori apud Cornelium Tacitum in Annalibus libr.5. = *Non eſt noſtrum æſtimare, quem ſuprà cæteros, & quibus ex cauſis extollas; Tibi ſummum rerum iudicium Dij dedere*. Hinc à prophanis ad Sacra tranſeundo, legitur in libr. Eſther cap.7. = *Sic honorabitur quemcumque voluerit Rex honorare*.

3 Idque ſi abſolutè, & ſimplicitèr procedit, potiori profectò Iure procedere dicendum eſt in noſtro rerum themate,in quo ſæpè memorata loci aſſignatio in Pontificia Cappella Generali, & Procuratori Generali Ordinis Minimorum, nec aduerſatur rationi, nec antiquiſſimæ conſuetudini, nec alicui legi, cui Summus Pontifex derogare teneatur.

4 Non aduerſatur rationi, ſi enìm reliqui aliarum Religionum Generales Cappellæ interueniunt, vt ſuas eo in loco Religiones repræ-

ſentent, vt inquit bonæ memoriæ R. P. D. Antonius Altouitus in ſuo voto impreſſo poſt Deciſiones Remboldi, & iterùm edito poſt egregium opus R. P. D. mei Fattinelli de Fattinellis Tractatum ſcilicèt de Collegio Referendariorum, & Votantium Signaturæ Iuſtitiæ *pag.192.*, ibi = *In Cappella Papæ, quia Religiones ibi eſſe non poſſunt, per Generales repræſentantur*, nullum inconueniens reputari poteſt in hoc, quod etiam Minimorum Religio in eadem Cappella à ſuo Generali repræſentetur.

5 Non aduerſatur antiquiſſimæ conſuetudini, quia tempore Pij Secundi veriſimile admodum eſt, vt omnes aſſiſterent Ordinum Regularium Procuratores Pontificiæ Cappellæ, vti deſumitur ex eius cęlebri Epiſtola ad Martinum Maier impreſſa poſt illius commentaria editionis romanæ anni 1584. pag.739., *quod ſi videres, aùt celebrantem Romanum Pontificem, aut Diuina audientem, fatereris profectò non eſſe ordinem, non eſſe Splendorem, ac magnificentiam, niſi apud Romanum Præſulem; Cum in ſuo Throno Papam ſublimem videris, Cardinales à dextris Sedentes, Magnos Prælatos à ſiniſtris adſtantes, è Regione Epiſcopos, & Abbates, ac Prothonotarios, & ſuo in loco Oratores Regum, Magnates in ſuo, ibi Auditores, hic Clericos Cameræ, ibi Procuratores Ordinum, hic Subdiaconos, & Acolytos, cæteramque multitudinem humi ſedere, profectò inſtar cæleſtis Hierarchiæ, diceres Romanam Curiam, vbi omnia ordinata, omnia ex præſcripto, ſtatutoque modo diſpoſita, quæ profectò cum boni viri intuentur, non poſſunt niſi laudare.*

6 Non vlli demum aduerſatur legi, cui Summus Pontifex derogare teneatur. Quandoquidem ſi aliqua lex eſt, quæ aliquid hac in re ſtatuerit, illa profectò contineri debet in Cæremoniali Romano, quod editum eſt nomine Chriſtophori Marcelli Archiepiſcopi Corcyrenſis, licèt reuera compoſitum fuerit ab Auguſtino Patritio Piccolomineo Epiſcopo Pientino, vti habetur ex Epiſtola celeberrimi Sacrarum Cæremoniarum Magiſtri Paridis de Graſſis Conciuis mei, quam publici Iuris fecit vir erudititiſſimus Ioannes Mabilon in ſuo Muſæo Italico *tom.2. pag. mihi* 587., cumque in dicto Cæremoniali abſolutè, & ſimplicitèr loquendo ſæpiùs mentio fiat Generalium, & Procuratorum Ordinum, vti habetur *lib.2. cap.30.*, *& lib.3. ſection.5. cap.2.*, *& cap.3.*, quodque caput eſt, cùm hæc alia verba legantur *in lib.3. ſection.2. cap. primo = Sedent in Cappella Papæ Abbates, Generales Ordinum; Procuratores Ordinis Hieroſolymitanorum, & Theutonicorum ſedebant poſt Abbates, ſed poſteà ſe gerentes pro Oratoribus, inter Oratores ſederunt, & paulò poſt è regione Papæ ſedent Procuratores quatuor Ordinum Mendicantium, & poſt eos, Procuratores aliarum Religionum*, nemo eſt qui non videat nullum à Cæremoniali Romano obſtaculum in hanc petitionem deriuare, & conſequentèr nullam adeſſe legem, cui Summus Pontifex derogare teneatur.

7 At

Digitized by Google

7 At quoniam hæc tantummodò inſinuando, ſcribendi laborem fortaſſe effugere velle viderer, quem tamen libentiſſimè ſubire paratus ſum, vt meæ deuotionis ergà Sanctum Franciſcum de Paula Ordinis Minimorum Fundatorem, meique ſinceriſſimi obſequij ergà ampliſſimùm Card. Ordinis Protectorem argumentum exhibeam.

8 Manum idcircò operi admouendo, retentaque methodo, quæ à Scribentibus non ad opportunitatem, ſed pro veritate adhiberi conſueuit, ingenuè referam argumenta, quæ contra inſtantiam, & quæ pro inſtantia militare poſſunt, & meum non deſinam qualecumque iudicium proferre.

9 Videretur itaque prima facie non eſſe precibus annuendum; Primò quia quidquid eſſet de tempore antiquiori, multis certè ab hinc annis, præter quoſdam Abbates Generales Monachorum, ſoli Generales, & Procuratores Generales Ordinum Mendicantium locum habent in Pontificia Cappella, cùmque de Iure communi Ordines Mendicantes ſint quatuor, Ordo ſcilicet Prædicatorum, Ordo Minorum, Ordo Eremitarum Sancti Auguſtini, & Ordo Carmelitarum, vtì habetur *in cap. vnico de Religioſ. Domibus in ſexto*, quibus à Sancto Pio Quinto ſuperadditus fuit ordo Seruorum Beatæ Mariæ iuxtà ea, quæ habentur in eius *Conſtitutione* 44. §.2. *Bullar. tom.2.* = *Motu proprio non ad ipſorum Fratrum, vel alicuius eorum nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnes, & ſingulos quatuor Mendicantium Ordinum, videlicèt Sancti Dominici, & Sancti Franciſci, ac Eremitarum Sancti Auguſtini, necnon Carmelitarum, & quibus etiam recenſeri volumus Seruorum Beatæ Mariæ nominibus comprahenſos Fratres &c. Mendicantium vocabulo, & omnibus, & ſingulis Mendicantium priuilegijs eis quomodolibet conceſſis, vti poſſe, & debere, nec ſuper præmiſſis vllo vmquam tempore moleſtari poſſe, auctoritate Apoſtolica per præſentes ſtatuimus, & declaramus &c.*, hinc ſequitur petitum locum aſſignari non poſſe Generali, & Procuratori Generali Fratrum Minimorum.

10 Secundò, quia ſi quid fauere poſſet Patribus Minimis Sancti Franciſci de Paula, illud profectò eſt, quod Sanctus Pius Quintus poſt declarationem emiſſam, in qua inter Fratres Mendicantes, vti mox vidimus, enumerauit Dominicanos, Franciſcanos, Auguſtinianos, Carmelitas, & Seruitas, proteſtatus eſt ſe nullum præiudicium afferre voluiſſe Patribus Minimis, quin pro Mendicantibus haberi deberent, vt infrà demonſtrabitur. Cùm autem hoc ipſum Sanctus Pius paritèr Papa Quintus decreuerit, quoad Fratres Jeſuatos, qui numquam Pontificiæ Cappellæ interfuerunt, vti colligitur ex eius *Conſtitutione* 50. *Bullar. tom.2.* = *Cumque nos nuper in quadam declaratione per Nos ſuper Mendicantium Fratrum Ordinibus certis tùnc expreſſis de Cauſis facta, vltrà Sancti Dominici, & Sancti Franciſci, ac Eremitarum Sancti Auguſtini, necnon Car-*

Digitized by Google

melitarum Mendicantium Ordines, ſolùm in illis Ordinem B.Mariæ Seruorum inſeri voluerimus, & propterea facilè à quibuſdam dubitari meritò poſſet, quod ſi dictam Congregationem, & illius Fratres ſub illis comprehendi voluiſſemus, nos ſpecialem etiam de illis omninò feciſſemus mentionem; Nos itaque attendentes eos cum actu mendicent, nonniſi honeſta de cauſa in Mendicantium Ordinibus huiuſmodi eſſe adſcriptos &c. Motu proprio &c omnia, & ſingula Priuilegia &c. Mendicantibus Ordinibus conceſſa &c. ad ipſam Congregationem Ieſuatorum &c. extendimus, & ampliamus &c., ipſoſque verè Mendicantes, & ſub Mendicantium Ordinibus eſſe, & comprehendi debere &c. declaramus &c., ſignum euidentiſſimum hoc eſt, nullum in prædicta Piana declaratione conſtitui poſſe fundamentum.

11 Tertiò, quia ſi locus in Pontificia Cappella aſſignandus eſſet Generalibus, & Procuratoribus Generalibus illarum Religionum, quæ vltrà memoratos quinque Ordines Dominicanorum, Franciſcanorum, Eremitarum Sancti Auguſtini, Carmelitarum, & Seruorum Beatæ Mariæ, inter Mendicantes recenſiti ſunt, Cappella Pontificia repleretur Generalibus, & Procuratoribus Generalibus, vt enim cæteri prætereantur, Clemens Papa Septimus priuilegia Ordinum Mendicantium communicauit Congregationi Clericorum Regularium Theatinorum, vti habetur in eius Conſtitutione 38. *Bullar. tom. primo*. Fuit hoc ipſum præſtitum à Sancto Pio Quinto Fratribus Eremitis Sancti Hieronymi Congregationis Beati Petri de Piſis, vti habetur in eius *Conſtitutione* 125. §.4. *Bullar. tom.* 2., Patribus Societatis IESV, vti paritèr habetur in eius *Conſtitutione* 131. *Bullar. tom.*2., ſimilia præſtita ſunt à Gregorio Decimo quarto Fratribus Cruciferis, Congregationi Eremitarum Camaldulenſium, & Clericis Regularibus Miniſtrantibus Infirmis, vti colligitur ex illius *Conſtitutionibus* 13., 17., & 18. *Bullar. tom.* 2., à Clemente Octauo Fratribus Diſcalceatis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, vti habetur ex eius *Conſtitutione* 101. *Bullar. tom.* 3., à Paulo Quinto Congregationi Clericorum Regularium Somaſchæ, vti habetur ex eius *Conſtitutione* 38. *Bullar. tom.* 3., à Gregorio demum Decimo quinto Ordini Carthuſienſi, & Clericis Regularibus pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, vti habetur ex eius *Conſtitutione* 14., & *Conſtitutione* 42. *Bullar. tom.* 4.; Hoc eſſet abſurdum; abſurdum ergò eſt etiam reputandum, vt ſub obtentu mendicitatis locus aſſignetur in Pontificia Cappella Generali, & Procuratori Generali Ordinis Minimorum.

12 Quartò, quia conſimilis gratiæ exempla non ſuppetunt, ſi enim alicui, præter eos, qui nunc aſſiſtunt Pontificiæ Cappellæ, locus in eadem aſſignatus eſt, aſſignatus fuit non Ordini, ſed perſonæ; hinc licèt, Prothonotarij extraordinarij extrà Vrbem vtantur habitu

Præ-

Digitized by Google

Prælatitio, & non in Vrbe, nec vllum habeant locum in Pontificia Cappella, vt latè firmant *Lelius Repettus in Tractat. de Prothonotar. §. 29. in principio*, *Barboſ. Iur. Eccleſ. vniuerſ. libr. primo cap. 23. numer. 27., & 28.*, *Nouar. in Summ. Bullar. Commentar. 144. ſub num. 9.*, *Caſſan. in Cathalog. glor. Mund. part. 4. conſideration. 29. §. Et extraordinarij*, *Corrad. in prax. diſpenſation. libr. 5. cap. 6. ſub num. 52. §. 17.*, *Leo in Theſaur. For. Eccleſiaſtic. part. prima cap. 2. ſub num. 34.*, felicis nihilominùs recordationis Clemens Papa Nonus conceſſit Fabio Guinigio Prothonotario extraordinario, qui fuit vnus ex Oratoribus obedientiæ ad eumdem Pontificem à Lucenſi Republica miſſis, vt veſtem prælatitiam in Vrbe indueret, & Cappellæ aſſiſteret in conſueto Banco Prothonotariorum, vti refert *Faber in ſuo Tractatu de Prothonotar. cap. 6. num. 18. & ſequen.*, hinc Sanctiſſimus Dominus Noſter demandauit, vt Pater Portocarrero Ordinis Sancti Auguſtini, qui annis elapſis ad Vrbem aduenit, & nec Generalis, nec Procuratoris Generalis munere fungebatur, ſedere poſſet in Banco Superiorum Regularium poſt omnes Procuratores Generales in Pontificia Cappella. Quando autem gratiarum exempla non ſuppetunt, iuxtà praxim Curiæ, illarum conceſſio inter impoſſibilia quodammodò recenſetur.

13 Quintò, quia ſi alicui Ordini, ſeù Religioni gratia indulgenda eſſet, vt illius Generalis, & Procurator Generalis Pontificiæ intereſſent Cappellæ, ea numquam indulgenda videretur Ordini, ſeù Religioni Minimorum. Cùm enim potiſſimum pro conceſſione fundamentum reponi valeat in ſtrictiori eiuſdem Regula, quæ ad maiorem conducit perfectionem, arctior eſt abſque dubio Regula Cappuccinorum, adeòque Sanctus Pius Quintus prohibuit, nè Cappuccini ad Minimos tranſirent, vti habetur in eius *Conſtitutione 45. Bullar. tom. 2.*; Arctior eſt Regula Carthuſianorum, qui nec in ægritudine comedunt Carnes, quas tamen Minimi comedunt, cum morbo laborant, vt in puncto argumentatur *Nauarr. conſ. 51. lib. 3. de Regular.*, & comprobatur ab extrauaganti *viam ambitioſæ* inter communes *tit. paritèr de Regular.*, in qua Pontifex, prohibito tranſitu omnibus Mendicantibus ad Monachales Religiones, illum eis liberum concedit ad Carthuſianos, tamquam omnibus ſtrictiores. Arctior demum eſt Regula Patrum Mercenariorum, qui vouent ſe tradere, & manere in pignus pro redimendis Captiuis, vti ad rem comparando regulam Ordinis Minimorum cum ſua Regula Mercenariorum, latiſſimè proſequutus eſt Ioannes Perez de Munnebrega Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum Theologus, & in Cæſarauguſtana Vniuerſitate Cathedræ Veſpertinæ moderator in ſuis ſcriptis aduersùs Patrem de Peyrinis; Non fuit aſſignatus locus in Pontificia Cappella Cap-

Digitized by Google

puccinis, Carthuſianis, aut Mercenarijs, à fortiori ergò non eſt ille aſſignandus Religioni Minimorum.

14 Sextò, quia Religio Minimorum eſt adnumeranda inter Familias, quarum Ordo Seraphicus ferax eſt, vti benè adnotauit Petrus Opmeer in opere ChronographicoOrbis vniuerſi ad annum 1440., vbi hæc habet = *Ordo Minimorum nunc exortus eſt, Auctore Franciſco Siculo, à quibus præter cruda, nihil comeditur. Sectatores hi ſunt, inter varij generis complures alios, Ordinis Sancti Franciſci.* Concordat *Raphael Volaterranus in ſua antropologia lib.21.*, vbi ità ſcribit = *Sunt item hodiè, qui arduum ſunt aggreſſi propoſitum, vt Franciſcus Natione Siculus, qui annis ab hinc ferè triginta Ordinem inſtituit Minimorum Ieſu Mariæ, Franciſci humilitatem, & decreta ſimùl cum amictu æmulatus, ſed aliquantulum duriùs à Carnibus, & coctis Cibarijs abſtinent*, nec mirum, quia Sanctus Franciſcus de Paula Nouitiatum fecit in ordine Minorum, vti teſtantur *Hieronymus Romanus lib.6. Reipublicæ Chriſtianæ cap.31.*, *Ioannes Pineda in ſua Monarchia Eccleſiaſtica lib.22. cap.23.§.6.*, *Marcus Vlyſſiponenſis par.3., Chronicor. Ordinis Minorum*, adeòque ad rem ſubdit, *Mirand. in ſuo Manual. Prælator. Regular. par.1. quæſt.4. art.11.*; *Sanctus Franciſcus de Paula Patris noſtri Sancti Franciſci Ordinem iuxtà Patrum ſuorum promiſſum eſt ingreſſus; Sed in ipſius Nouitiatus anno, deſiderio flagrans inuiſendi Aſſiſij locum, vbi Seraphicus Pater Noſter eſt ſepultus, dimiſſo habitu, cum parentibus ſuis illuc vſque ſe recepit. At non eſt poſteà reuerſus ad Nouitiatus locum, neque ad Sacrum Noſtrum Ordinem, cuius quidem rei cauſa penitùs ignoratur, & quia ipſe è Minorum Religione exierat, ſuos filios, & Alumnos, non Minores quidem, ſed Minimos voluit nuncupari, & appellari, & quod habitum deferrent mutato colore inſtar Nouitiorum Noſtri Ordinis, quibus ex Regula noſtra præſcripto iubetur, vt habeant duas tunicas ſinè Caputio, & Cingulum, & Brachas, & Caparonem vſque ad Cingulum.*

15 Si autem Religio Minimorum eſt inter Familias, quarum Ordo Seraphicus ferax eſt, aſſignari nequit locus in Pontificia Cappella eius Generali, & Procuratori Generali, Miniſter enim Generalis de Obſeruantia, licitè vtitur titulo, ſigillo, & inſcriptione Miniſtri Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum iuxtà decretum Sacræ Congregationis Rituum die 22. Martij 1631. apud *Lantuſcam in theatr. Regular. pag.216.* = *Cum Procurator Generalis Fratrum Minorum Conuentualium Sancti Franciſci ſex ab hinc annis ægrè ferret Miniſtrum Generalem de obſeruantia in præteritum vſum fuiſſe, & in præſentiarum vti titulo, & ſigillo cum inſcriptione Miniſtri Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum, recurſum habuit ad Sanctiſſimum, ſupplicans mandari reformari huiuſmodi titulum tamquam non legitimè dicto Miniſtro Generali de Obſeruantia competentem*

tem

Digitized by Google

tem, & ſupplicatione per Sanctiſſimum ad hanc Sac. Rituum Congregationem remiſſa, eadem Sacra Congregatio diſcuſſionem huius Negotij ad referendum vſquè de anno 1652. commiſit Eminentiſſimo, & Reuerendiſſimo Domino Cardinali Muto, coram quo formato dubio de conſenſu ambarum Partium, an titulus Miniſtri Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum, quo inſignitur Miniſter Generalis Obſeruantium ſit reformandus, vtraque parte ſæpius in facto, & Iure deſuper informante, & audita, ad relationem eiuſdem Eminentiſſimi Cardinalis Muti, Cauſa acerrimè in plena Congregatione diſcuſſa; Sacra Rituum Congregatio reſpondit nihil innouandum, & Miniſtrum Generalem de Obſeruantia legitimè vſum fuiſſe, & vti poſſe titulo, & ſigillo cum inſcriptione Miniſtri Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum, & ità ſeruari mandauit die 22. Martij 1631., Generalis hic Fratrum de Obſeruantia habet locum in Pontificia Cappella, in qua etiam locum habet Generalis Conuentualium, licèt vterque vno, & eodem tempore intereſſe non poſſit. Pontificiæ quoque aſſiſtunt Cappellæ Procuratores Generales Minorum de Obſeruantia, & Conuentualium, & ille huic præcedit iuxtà aliud Decretum Sacræ Congregationis Rituum, quod referunt *Barboſ. Iur. Eccleſ. vniuerſ. libr. primo cap. 43. num. 194.*, *Tamburin. de Iur. Abbat. tom. primo diſputat. 25. quæſt. 8. ſub num. 8.* == *Viſo Memoriali pro Procuratore Generali Ordinis Minorum Sancti Franciſci de Obſeruantia Sanctiſſimo Domino Noſtro porrecto, & à Sanctitate Sua Congregationi Sacrorum Rituum tranſmiſſo ſuper præcedentia eidem Procuratori in Cappella Sanctiſſimi antè Procuratorem Generalem eiuſdem Ordinis Conuentualium competenti, ac decreto aliàs ſub die 25. Nouembris 1593. ad eiuſdem Procuratoris de Obſeruantia fauorem facto, Congregatio die 21. Ianuarij 1602. ſtetit in deciſis, factaque eidem Sanctiſſimo Domino Noſtro iuxtà eiuſdem Sanctiſſimi reſcriptum de præmiſſis relatione, Sanctitas Sua dicta Decreta approbauit, & ab ijs, ad quos ſpectat obſeruari mandauit* = Cumque nullus alius ex Generalibus, & Procuratoribus Generalibus cæterarum Religionum Ordinis Seraphici locum obtineat in Pontificia Cappella, infertur illum aſſignari non poſſe Generali, & Procuratori Generali Patrum Minimorum.

16 Septimò quià ab huius loci conceſſione lis aliqua de præcedentia exoriri poſſet inter Generales, & Procuratores Generales aliorum Ordinum, qui locum habent in Pontificia Cappella, & Generalem, & Procuratorem Generalem Ordinis Minimorum, quæ lis de præcedentia ſi dedecet Regulares, & ſignantèr Mendicantes, vti latè oſtendunt *Leonell. de præcedentia hominum quæſt. 7. artic. 6. verſic. final.*, *Salgad. de reg. protection. part. 2. cap. 9. num. 40.*, *& 42.*; maiori profectò ratione dedecet Patrem Generalem Minimorum, vti proſequitur *Caſſaneus in Cathal. glor. Mundi part. 4.*

 con-

conſideration.69. verſic.Sed cùm ſint, exemplo enim Sancti Franciſci de Paula humilitatem præ alijs colere tenetur, adeoque in lectionibus proprijs, quæ recitantur in Officio dicti Sancti Franciſci sic legitur = *Humilitatem sic coluit, vt ſe omnium minimum dicere, ſuoſque alumnos Minimos appellari voluerit*, & concordat *Bulla Canonizationis* §.31. *humilitatis amator erat, Fratres ſui Ordinis Minimos, & Sorores Minimas vocari debere ordinauit*; Nèc omitti debet, quod ex prædicta aſſignatione loci in Pontificia Cappella querimoniæ excitarentur Magiſtri Sacri Palatij; Cum enim poſt ingreſſum in Cappellam, Procurator Generalis Minimorum deberet in illa quolibet anno bis ſermocinari, quemadmodum faciunt cœteri Procuratores Ordinum Generales, Sacr Palatij Magiſter, qui in toto anni decurſu liberam habet facultatem duos eligendi, qui ſermonem habeant in illa, in Feſtiuitate ſcilicèt Sancti Ioannis Euangeliſtæ, & in Feſtiuitate Aſcenſionis Domini, dicto priuaretur arbitrio, cum omnes alij dies, quibus ſermo habetur in Cappella, iàm ſint alijs Regularibus, aùt Clericis Sæcularibus aſſignati, quæ res maximopere eſt animaduertenda, cum iuxtà cœremoniale Romanum *libr.3. cap.* 22. electio ſermocinantium in Pontificia Cappella ſit Magiſtri Sacri Palatij = *Magiſter Sacri Palatij conſueuit eſſe ex Ordine Prædicatorum, & ordinariè quando ſit Conſiſtorium, legit in Palatio publicè aliquid in Theologia. Ad hunc ſpectat ordinare, qui debeat facere Sermones in Cappella Apoſtolica, & eorum ſermones reuidere, curareque, vt nihil dicatur puritati Fidei, & grauitati illius loci contrarium.*

17 Hæc ſunt, quæ contra inſtantiam militare poſſunt, quæque voluì omni cum ingenuitate exponere, ne quid intactum relinqueretur, & ne quid diſſimulare viderer. At nùnc veritati obſequendo potiora exiſtimarem eſſe fundamenta, quæ fauent inſtantiæ, quæque deducuntur, primò ex actis Sancti Franciſci de Paula Ordinis Fundatoris; Secundò ex qualitate Religionis ab eodem inſtitutæ; Tertiò ab exemplis conſimilium gratiarum in præteritùm conceſſarum; Quartò ex nonnullis circumſtantijs maximopere animaduertendis; Vltimò ex quo omnibus benè ponderatis, gratia, quæ petitur, quatenùs obtineatur, in conſequentiam deduci non poteſt, nequè eſt apta nata ad inducendos alios Ordines Regulares, qui nùnc locum non habent in Pontificia Cappella, vt illum petere valeant, & obtinere.

18 Primò itaque fauent inſtantiæ ea, quæ occurrunt in actis Sancti Franciſci de Paula; Celebre quippè eſt Teſtimonium, quod de illo adhùc viuente perhibuit *Philippus de Comines libr. 6. cap.8. ad Annum* 1481. = *Inter viros fama Sanctimoniæ celebres, accerſiuit ad ſe Ludouicus Vndecimus Galliarum Rex ex Calabria quemdam Fratrem Robertum nomine, pro vitæ Sanctitate vulgò appellatum Virum Sanctum &c. Eremita iſte Neapoli tranſiens honoratus, & viſitatus fuit quantum magnus aliquis Legatus Apoſtolicus, tam à Rege, quàm à Filijs eius, ipſiſque loquebatur veluti homo in aula enutritus. Indè tranſitum Romæ habuit, ibique viſitatus fuit ab omnibus Cardinalibus*,

Digitized by Google

bus, & triplici vice audientiam habuit apud Pontificem, ſolus cum ſolo agens, & propè ipſum aſſidere iuſſus in Sella pretioſa, trium, quatuorue horarum ſpatio, quoties ad Papam acceſſit. Magnus ſanè honor fuit perſonæ, tàm exiguæ conditionis, ità prudentèr reſpondere, vt cuncti eum mirarentur &c. viuit adhùc, adeòque adhùc poſſet in melius, peiuſue mutari, quare ſuperſedeo pluribus de eo loqui.

19 Quamuis autèm Philippus de Comines ibi loquatur de quodam Eremita Roberto, certum nihilominùs eſt illius verba reſpicere Sanctum Franciſcum de Paula, vtì non ſolùm latiſſimè oſtendunt Lucas Montoia in Chronico Ordinis Minimorum *lib. 5. cap. 9. §. 2.* Lanouius in eodem Ordinis Chronico ad annum Chriſti 1456., ſed etiàm hoc ipſum fuit libentiſſimè admiſſum à Godefrido Enſchenio, & Daniele Papebrochio Viris profectò emunctæ naris in actis Sanctorum menſis Aprilis *Tom. primo in Vita Sancti Franciſci de Paula pag. mihi* 105. = *De Sancto Franciſco de Paula agere Cominæum eſt euidens; Tùm quia Hiſpanico illius interpreti, & Commentatori Ioanni Vitriano ità legi placuit, ſinceriori fortaſſis aliquo, & antiquiori manuſcripto prælucente, quale ſecutum eſſe Libelli Bruxellenſis Scriptorem confidimus. Alij alias Cauſas comminiſcuntur mutati apud Comineum nominis, quas Franciſcus Lanouius in Chronico Generali Ordinis Minimorum attingit, iiſque reiectis concludit, homini aulico facilè hunc errorem obrepere potuiſſe, cùm eſſet in eadem aula quidam Frater Robertus Ordinis Prædicatorum, & ipſe ob vitæ Sanctimoniam Regi charus. Addere potuiſſet, mirum non videri debere, ſi verum Paulani Eremitæ nomen minùs fuerit cognitum ipſis etiam aulicis, cùm paſſim non proprio, ſed Viri Sancti, vel Viri boni nomine appellaretur. Ego ſuſpicor, quod in autographo Cominæi, remanſerit locus vacuus exprimendo nomini proprio, quia non vacabat ſtudioſiùs illud quærere, aùt ſcribentis memoriæ non occurrebat, quem hiatum librarij ex ſe ſuppleuerint.*

20 Cumque ex recitatis verbis Philippi de Comines colligatur Sanctum Franciſcum de Paula inſolitis, & conſpicuis honoribus Viſitationis à Sacro Cardinalium Collegio, & ſeſſionis à Summo Pontifice exceptum fuiſſe, dùm Romæ morabatur, hìnc ortum ducere poteſt congruentiâ, vt debita proportione ſeruata, conſimilis quidam honor præſtetur Ordini ab eodem Sancto Franciſco inſtituto, cumque nullus alius honor magis conſimilis, & debita cum proportione adhibitus reperiri valeat, quàm vt Generalis, & Procurator Generalis Ordinem repræſentantes admittantur in Pontificia Cappella, & vnà cum alijs ſedeant coràm Summo Pontifice, & Sacro Cardinalium Collegio, gratia conſequentèr petita rationabilitèr indulgeri poſſe videtur; Multòque magis, cum de praxi ſit Apoſtolicæ Sedis, vt honores Religionibus indulgeantur in memoriam eorum, quæ Sanctis aliquandò illarum Fundatoribus præſtita ſunt, quo circa videmus Sacram Prædicatorum familiam plures habere ex ſuis, qui munera, & miniſteria obtinent, tùm in Suprema Romana, tùm in cœteris alijs Inquiſitionibus, & alium ſemper eiuſdem familiæ Sacerdotem ad miniſterium aſſu-

Digitized by Google

aſſumi Magiſterij Sacri Palatij, nonniſi, quia Sancto Dominico illius Fundatori datum fuit ab Innocentio Tertio munus inquirendi aduersùs hæreticam prauitatem tùnc vigentem Albigenſium, illique paritèr demandatum fuit, vt nonnulla legeret ex Sacra Theologia Aulicis, qui Cardinales ſuos Dominos expectabant, vt è Cappella redirent, vti perpenſa delegatione aduersùs Albigenſes latè docent *Param. de Origin. Inquiſition. libr. 2. titul. primo cap. primo num. 13., Caſtill. in Hiſtor. Ordin. Prædicator. cap. 17., Fernand. in concertation. Prædicator. pag. 16.*, & perpenſa lectione Sacræ Theologiæ eidem Sancto Dominico iniunctæ, benè adnotarunt *S. Antonin. 3. part. Hiſtoriar. tit. 22. cap. 2., Maluend. in annal. Ord. Prædicator. ad ann. Chriſti* 1218., *Fontan. in Syllab. Magiſtror. S. Palatij in principio*.

21 Secundò fauet Inſtantiæ qualitas Religionis Minimorum; Quandoquidèm illa non ſolùm eſt extenſa ad omnes ferè Orbis Catholici partes, & intèr Religiones Mendicantes iure optimo recenſetur, ſed etiàm propriam habet Regulam ab alijs Regulis à Sede Apoſtolica approbatis diſtinctam, & ſeparatam, quæque maximopere ad perfectionem conducit; Adeoque ſi cœteri Fratrum cœtus intèr Mendicantes verè recenſiti, & quorum Ordo per vniuerſum Orbem dilatatus eſt; ſi vnaquæque Regula à Sede Apoſtolica approbata ex ſuis habent, qui in Pontificia Cappella locum obtinent, non videtur hoc denegari poſſe Generali, & Procuratori Generali Ordinis Minimorum.

22 Quod autem Minimorum Religio per omnes ferè Orbis Catholici partes dilatata ſit, & iure optimo inter Religiones Mendicantes recenſeatur, facili negotio comprobari poteſt, tùm quia præter hoſpitia, qui in Conuentus diſponuntur, Conuentus habet 453. per Italiam, Germaniam, Flandriam, Galliam, Hiſpanias, & apud Indos; Tùm quia Sanctus Pius Quintus cùm declaraſſet, vti vidimus, Mendicantes eſſe Dominicanos, Minores, Eremitas Sancti Auguſtini, Carmelitas, & Seruitas, nouam edidit Conſtitutionem, in qua proteſtatus eſt ſe nullum intendiſſe præiudicium afferre Patribus Minimis, quin dicendi eſſent comprænenſi ſub appellatione Mendicantium, vti colligi valet ex eius *Bulla* 49. *Bullar. tom.* 2.; *Cùm tamèn, ſicùt eadem expoſitio ſubiungebat ex eo, quod nos nupèr in quadam declaratione per nos ſub Mendicantium Fratrum Ordinibus, certis tùnc expreſſis de cauſis facta, præter Sancti Dominici, & Sancti Franciſci, ac Eremitarum Sancti Auguſtini, nec non Carmelitarum Mendicantium Ordines, etiàm in illis Beatæ Mariæ Seruorum inſeri voluerimus, ac propterea facilè à quibuſdam dubitari merito poſſet, quod ſi Ordinis Minimorum Fratres huiuſmodi ſub illis comprehendi voluiſſemus, nos ſpecialem etiàm de illis mentionem omninò feciſſemus &c.: Nos attendentes eos, cum actu mendicent, nonniſi honeſtà de cauſa in Mendicantium Ordine eſſe adſcriptos &c. ipſoſque verè Mendicantes eſſe, & ſub Mendicantium Ordinibus eſſe, & comprehendi debere &c. declaramus*; Quinimmò cum ex Regula Sancti Franciſci de Paula num. 20. hæc

ha-

Digitized by Google

habeantur = *Præterea ſub paupertate Euangelica perpetuò militantes omnes dicti Fratres Clerici, & Laici pecunias nullatenùs tangant, nèc illas ſcienter deferant. Neque ipſi in iudicio, aùt extrà contendendo repetant eleæmoſynas temporaneas, vèl annuas, aùt perpetuas huic Ordini quomodolibet oblatas, cùm illæ ab eis in toto, vèl in parte auferentur*, ſatis hoc eſſe debet, vt Ordo Minimorum adſcriptus cenſendus ſit intèr Ordines Mendicantes in vim propriæ Regulæ, & non priuilegiorum, vti latè docent *Suarez. tom. 4. de Religion. tract. 2. libr. primo cap. 8. num. 3., & 4., Pellizzar. in Manual. Regular. tom. primo tract. primo cap. 3. ſection. prima n. 12., Azor. Inſtitut. Moral. part. prima lib. 12. cap. 23. quæſt. prima*, & in puncto Religionis Minimorum perpenſa dicta Bulla Piana firmat *Peyrin. de priuil. Regular. pag. mihi 251. num. primo* = *quare iſta annumeratio potiùs eſt quædam ſolemnis declaratio, quàm aliud, non enim Religio noſtra eſt mendicans, eò quia eam talem declarauerit Pius Quintus, ſed eam sìc declarauit, quia talis erat.*

23 Quod verò ſæpememorata Minimorum Religio ſuam habeat particularem Regulam diſtinctam, & ſeparatam à cæteris alijs Religioſorum Regulis à Sede Apoſtolica approbatis, quæque maximoperè ad perfectionem conducit, ponitur in claris; Tùm quia Auctores de hac materia tractantes aſſerunt Regulas à Sede Apoſtolica approbatas eſſe illas, Sancti Baſilij, Sancti Benedicti, Sancti Auguſtini, Sancti Franciſci de Aſſiſio, & Sancti Franciſci de Paula; *Sanchez. in præcept. Decalog. tom. 2. lib. 6. cap. 6. num. 6., Suarez. tom. 4. de Religion. lib. primo cap. 8. num. 6., Barboſ. Iur. Eccleſ. vniuerſ. lib. primo cap. 41. num. 188., Bartholomeus à Sancto Fauſto in Theſaur. Religioſor. lib. 5. quæſt. 5.*, vbi poſtquàm quæſiuit *quænam ſint in Eccleſia Religioſorum Regulæ à Sede Apoſtolica approbatæ, ſub quarum aliqua militant omnes Religioſi Eccleſiæ Catholicæ*, ità inquit = *Reſpondeo quinque, prima eſt Diui Baſilij, ſecunda Diui Benedicti, tertia Diui Auguſtini, quarta Diui Franciſci de Aſſiſijs, quinta, & vltima Diui Franciſci de Paula*, tùm quia cum Patres Minimi, expleto probationis Anno, profeſſionem emittant iuxtà ſequentem formulam à Iulio ſecundo approbatam = *Ego Frater N. voueo, & promitto Deo Omnipotenti &c. ſtare, & perdurare toto tempore vitæ meæ ſub vita, & Regula Fratrum Ordinis Minimorum Sancti Franciſci de Paula, ſub votis Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ, & Quadrageſimalis vitæ*, non ſolùm ſolemne hoc votum vitæ quadrageſimalis facit, vt Regula Minimorum ſit eſſentialitèr diſtincta à cæteris alijs Regulis, vti docet *Peyrin. in Commentar. aſceticis num. 5.*; Sed etiàm fomentum præſtat aſſerendi, Regulam prædictam maximoperè conducere ad perfectionem Religioſam; Confert quippè caſtitati, quia quadrageſimalis abſtinentia tollit maximum luxuriæ incitamentum; Confert paupertati, quia ſumptus pro cibis Quadrageſimalibus quantumcumque ordinarijs longè ſuperant illos, qui fiunt pro cibis Paſchalibus, vt experientia conſtat, adeout huiuſmodi ſumptus abſorbeant redditus Conuentuum færè omnium, imo ſæpè ob pretium rigoroſum quo emere neceſſe eſt, excedunt;

Con-

Confert obedientiæ, quia dicta abſtinentia quadrageſimalis humiliat cor, & animum abſtinentis docilem reddit ad Superiorum præcepta exequenda, adeoque Sanctus Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 188. art. 8. ad tertium ait, *quod ad continentiam efficaciùs ordinatur maceratio carnis per abſtinentiam cibi, & potus, quæ pertinent ad famem, & ſitim, quàm per ſubtractionem Veſtium, quæ pertinent ad frigus, & nuditatem*, & Cardinalis Caietanus ibidem ſubdit = *Attende, quod non exempli tantùm, ſed veritatis doctrinam continet, nàm pauperes nudos vacare generationi videmus, & ſimilitèr laborantes continuò laboribus maximis, vacare etiàm generationi perſpicimus, famelicos autèm, & ſitibundos nequaquam, iuxtà illud ſinè cerere, & baccho friget venus. Conuenientius ergò medium ad continentiam ſeruandam eſt abſtinere à cibo, & potu, quàm carere caligis, aùt calceis.*

24 Tertiò fauent inſtantiæ, conſimilium exempla gratiarum, poſt admiſſos etenìm quatuor priores Ordines Mendicantes in Pontificia Cappella, Prædicatores ſcilicèt, Minores, Auguſtinianos, & Carmelitas, fuit hoc ipſum conceſſum Generali, & Procuratori Generali Ordinis Seruorum Matris Dei, quo circa legimus, quod Cappellæ habitæ die 10. Maij 1512., occaſione Concilij generalis Lateranenſis ſub Iulio ſecundo, interfuerunt ſequentes Magiſtri Generales Ordinum, Magiſter Thomas Generalis Ordinis Prædicatorum, Magiſter Demetrius Ordinis Minorum Vicarius, Magiſter Algidius Generalis Ord. Eremitarum Sancti Auguſtini, Magiſter Bernardus Vicarius Ordinis Beatæ Mariæ de Carmelo, vti videri poteſt in Tomo vltimo Conciliorum Generalium Romanæ impreſſionis fol. 18., & quod vnà cum dictis Generalibus, alteri Cappellæ habitæ ex eadem occaſione Concilij Generalis Lateranenſis, interfuit die 3. Decembris 1512., Generalis Seruorum Beatæ Mariæ Virginis, cui gratia hæc conceſſa fuit, teſte Paride de Graſſis celeberrimo, vti diximus, Cæremoniarum Magiſtro, qui loquendo de dicta Cappella, ait = *Generalis Seruorum Beatæ Mariæ Virginis voluit cum alijs quatuor Mendicantibus ſedere tamquam, & ipſe Generalis, quod fuit ſibi gratioſè conceſſum*. Rursùs hæc eadem gratia conceſſa fuit Generali Canonicorum Sancti Georgij in Alga, cùm enìm Canonici iſti eſſent Clerici purè Sæculares iuxtà Conſtitutionem Gregor. Duodecimi Bullar. Tom. primo, & ſic nullus eorum Pontificiæ intereſſet Cappellæ, & ſolùm ſub Pontificatu Sancti Pij Quinti profeſſionem emiſerint Regularem, vti colligitur ex illius Sancti Pontificis Bulla 92. Bullar. Tom. 2., fateri cogimur, quod poſt hoc tempus, conceſſum fuit ipſorum Generali locum habere in Pontificia Cappella, cum ex decreto Sac. Rituum Congregationis à me in regeſtis recognito, deprænhendatur illum prætenſionem præcedentiæ in Pontificia Cappella ſupra Generalem Sancti Dominici excitaſſe, & cauſa cecidiſſe *pro Eminentiſſimo Burgheſio abſente, referente Eminentiſſimo Ceſarino petitionem Generalis Sancti Dominici circa præcedentiam in Cappella Pontificia ſupra Generalem Congre-*

gre-

gregationis Sancti Georgij in Alga, Sacra Congregatio reſpondit ad Generalem Sancti Dominici ſpectare praecedentiam ſupra Generalem Sancti Georgij in Cappella Pontificia, & ab ipſo Generali Sancti Georgij non poſſe moleſtari Generalem Sancti Dominici in ſua quaſi poſſeſſione pracedendi. Die prima Aprilis 1634. Tandèm hæc eadem gratia conceſſa fuit die 2. Maij 1694. à Sanctæ memoriæ Innocentio Duodecimo Abbati Generali Monachorum Silueſtrinorum, prout adnotarunt Magiſtri Cæremoniarum in ſuis, quæ conſcribunt Diarijs, idque, licèt ex inueterata conſuetudine inter Abbates Generales Monachorum ſoli intereſſent Pontificiæ Cappellæ Abbates Generales Lateranenſium, Baſilianorum, Camaldulenſium, Ciſtercenſium, Oliuetanorum, & Cæleſtinorum.

25 Quidquid autèm ſit de Religione Seruorum; ſi gratia loci in Apoſtolica Cappella conceſſa fuit, tùm Generali Sancti Georgij in Alga, tùm Abbati Generali Monacorum Silueſtrinorum, quorum Religiones, vt à cæteris abſtineamus, Italiæ fines numquam prætergreſſæ ſunt, à fortiori hoc ipſum videtur concedi poſſe Religioni Minimorum ad omnes ferè Catholici Orbis partes extenſæ, ducto argumento à minori ad maius, quod in iure optimum reputatur, *Rot. in Romana Multiplicorum* 25. *Iunij* 1699. §.*Conſonat in fine*, & *in Hiſpalen.Viſitationis* 30.*Aprilis* 1700. §. *Magis tamèn expreſsè cor.Rmo Molines Decano*.

26 Quartò fauent inſtantiæ, ſequentes maximoperè aduertendæ circumſtantiæ: notorium ſiquidem eſt Sanctiſſimum Dominum Noſtrum Clementem Papam Vndecimum fuiſſe Ordinis Minimorum Protectorem, dùm erat in Sacro Cardinalium Cætu, eandemque protectionem etiam poſt adeptum Pontificatum retinuiſſe, vſquequo eam dimiſit Annibali Albano ſuo ex fratre Nepoti, quem poſt multam annorum intercapedinem, & exantlatos, tùm in Vrbe, tùm extrà illam inſignes pro Sede Apoſtolica labores, Cardinalitia dignitate donauit; Cumque Summi Pontifices magnum aliquod, & diù permanſurum beneficium concedere conſueuerint illorum hominum Cætui, quorum Protectores fuerunt, dùm erant Cardinales, & multò magis ſi protectionem retinuerunt poſt adeptum Pontificatum, aptius profectò, & decentius beneficium pro Religione Fratrum Minimorum non videtur reperiri poſſe, quàm illud, pro quo nunc ſupplices exhibentur preces, vt ipſorum ſcilicèt Generalis, & Procurator Generalis vnà cum alijs Generalibus, & Procuratoribus Generalibus locum obtineant in Apoſtolica Cappella.

27 Pro huius aſſumpti comprobatione, exempla peti poſſunt à Cardinalibus, qui fuerunt Archipresbyteri Baſilicarum Vrbis, quique ſubſequentèr Summi Pontifices facti ſunt, & inſignia Baſilicis, quorum fuerant Archipresbyteri, priuilegia contulerunt. Talia ſunt illa, quæ Baſilicæ Lateranenſi præſtita ſunt à Gregorio Vndecimo, Bonifacio Nono, Martino Quinto, Iulio Secundo, Paulo Tertio, qui dictæ Baſilicæ fuerunt Archipresbyteri, vti hæc omnia enarrando latè proſequitur *Cardinalis Raſponus*

Digitized by Google

nus de Baſilica Lateranenſi lib.2. cap.2., *& cap.4.*; Talia ſunt illa, quæ noſtræ Baſilicæ Vaticanæ collata ſunt à Gregorio Nono, Nicolao Tertio, & Paulo Secundo, qui fuerant illius Archipresbyteri tempore Cardinalatus, vti deſumi poteſt, tùm ex Elencho Archipresbyterorum Baſilicæ, tùm ex Martyrologio Benefactorum, quæ in noſtro Archiuo aſſeruantur. Talia demùm ſunt illa, quæ Liberianæ Baſilicæ fuerunt indulta, tùm ab Alexandro Sexto, tùm à S. Pio Quinto, licèt hic in Archipresbyteratu geſſerit tantummodò vices S. Caroli Borromæi ab Vrbe abſentis, vti plenè deducitur ex tractatu Abbatis de Angelis de Baſilica Liberiana.

28 Suffragatur prætereà exemplum Alexandri Secundi, qui ex Epiſcopatu Lucenſi ad Summum Pontificatum euectus, cum dictum Epiſcopatum retinuiſſet, etiam poſt Pontificatum, itaùt eius ſubſcriptio in pluribus diplomatibus, ſequentibus verbis conſcripta inueniatur *ego Alexander ſolius Dei miſericordia licèt indignus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Præſul*, *& Lucenſis Epiſcopus*, non ſolùm Cathedralem S. Martini à fundamentis reſtaurauit, eandemque Sacris Reliquijs illuſtrauit, ſed etiam pallium Epiſcopo, & Mitram Canonicis benignè conceſſit teſte Auguſtino Oldoino in additionibns ad Ciacconium in vita Alexandri Secundi *Eccleſiæ Lucenſi*, *vt Ptolomæus Lucenſis affirmat*, *plura indulſit beneficia*, *Epiſcopo ſcilicèt*, *vt pallio vteretur*, *& more Archiepiſcoporum progrediens*, *antè ſe crucem haberet*; *Canonicis autem*, *vt in publicis ſupplicationibus Mitrati Epiſcopum antecederent*, & in terminis Cardinalium, qui fuerant Protectores alicuius Ordinis Religioſi, quique ſubſequentèr Summi Pontificces facti ſunt, celebre eſt exemplum felicis recordationis Alexandri VIII., qui non ſolùm Confratribus, & Consororibus Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum conceſſit Iundulgentias Stationum Vrbis, ſed quod notabilius eſt, elargitus fuit omnes gratias, Facultates, Indulta, & Priuilegia Ordini Beatæ Mariæ de Mercede, quæ fuerant alijs Ordinibus, ac locis Regularibus vſque tunc ab alijs Pontificibus conceſſa, expreſſa cauſa, quod dicti Ordinis fuerat Protector, dùm erat in Sacro Cardinalium Collegio, vti deſumitur ex Bullario Religionis pag.413. *Nos igitur memoratum Ordinem Beatæ Mariæ de Mercede*, *cuius nos dùm Cardinalatus honore fungeremur*, *Protectores Apoſtolica auctoritate deputati eramus*, *propenſo Apoſtolicæ charitatis ſtudio complectentes &c.*, & pag. 412. *Nunc autem nos ad peramplius augendam eorumdem Confratrum*, *& Consororum Religionem*, *& Animarum ſalutem cœleſtibus Eccleſiæ theſauris pia charitate intenti*, *ac aliquod paternæ noſtræ erga Ordinem præfatum*, *cuius nos dùm Cardinalatus honore fungebamur*, *Protectores Apoſtolica auctoritate eramus*, *beneuolentiæ monumentum extare cupientes*, *ſupplicationibus eiuſdem &c.*

29 Quintò fauet inſtantiæ, quod ſi petita gratia concedatur, illa trahi nequit in exemplum; Si enim eius fundamentum reponatur, tùm in his, quæ ſuprà retulimus ex actis S. Franciſci de Paula, tùm ex quo Sanctiſſimus Dominus Noſter tempore ſui Cardinalatus fuit

Digitized by Google

fuit Ordinis Protector, & protectionem retinuit etiam adepto Pontificatu, nemo eſt, qui non videat impoſſibile quodammodò moralitèr eſſe, quod hæc gratia in exemplum trahatur, quodque cæteri Ordines Regularium anſam ex illa ſuſcipiant petendi, & obtinendi aſſignationem loci in Pontificia Cappella pro ipſorum Generali, & Procuratore Generali; Haud vrgente, quod ea, quæ mox deducta ſunt de Ordinis Minimorum qualitate, alijs Ordinibus poſſunt eſſe communia; tùm quia id non ſubſiſtit in facto, vti demonſtrabitur in ſolutione obiectorum; tùm quia gratia non illi ſoli innititur fundamento, ſed cæteris alijs ſpecialiſſimis mox relatis, in quo rerum ſtatu vrget Iuris cenſura, quæ diſpoſitionem aliquam plures conditiones requirentem ab exemplo, & conſequentia excludit, ſi vna, aut altera, & non omnes ſint verificatæ conditiones *Textus in l. Si hæredi ff. de condit. inſtitution., & in l. Si quis ita ff. de verbor. obligation.*

30 Poſt hæc, deſcendendo ad ſolutionem eorum, quæ in contrarium fuerunt animaduerſa, & in ſuperioribus expoſita, non obſtat primum, quod quinque ſint Ordines Mendicantes iuxtà allegatam Conſtitutionem Sancti Pij V., Ordo ſcilicèt Dominicanorum; Ordo Minorum, Ordo Eremitarum S. Auguſtini, Ordo Seruorum Beatæ Mariæ, quandoquidem ex ſuprà probatis, Ordo etiam Fratrum S. Franciſci de Paula inter Ordines Mendicantes recenſetur, & quidem non ex priuilegio, ſed ex Conſtitutionibus, itaùt conſequentèr gratia, quæ alijs Ordinibus verè Mendicantibus data eſt, huic etiam videatur indulgenda.

31 Minùs obſtat ſecundum, quod Fratres Ieſuati fuerunt declarati Mendicantes verè, & non fictè à Sancto Pio V. quemadmodùm etiam, vti diximus, contigit in Minimis, quaſi quod ſi Generali, & Procuratori Generali illorum non fuit conceſſus locus in Cappella Apoſtolica, idem etiam concludendum ſit quoad horum Generalem, & Procuratorem Generalem; Prætermiſſo quippè, quod non conſtat Fratres Ieſuatos hanc inſtantiam promouiſſe, duplex inter Ieſuatos, & Minimos occurrit diſparitas, altera eſt, quod Religio Ieſuatorum erat Religio parua, & non erat, ſicuti eſt Religio Minimorum, extenſa per vniuerſas ferè Catholici Orbis partes; altera eſt, quod Ieſuati Miſſam non celebrabant, vti latè oſtendit *Petrus Finus eiuſdem Religionis Hiſtoricus, in Hiſtoria Ordinum Regularium pag.* 243. Cumque recepti fuiſſent ſub protectione Sanctæ Sedis, & exempti à iuriſdictione Ordinariorum per Martinum Quintum, vti videri poteſt *in eius Bulla XI. Bullar. tom.* 1., ſolùm à Paulo V. illis conceſſum fuit, nonnullis ſeruatis conditionibus, vt ad Sacros Ordines aſcendere poſſent, iuxtà *Conſtitutionem XVI. dicti Summi Pontificis Bullar. tom.* 3.

32 Non obſtat tertium, quod plures aliæ Religiones ſint inter Mendicantes recenſitæ, hinc deducendo, quod ſi gratia Patribus Minimis concederetur, repleretur Cappella Pontificia Generalibus, & Procuratoribus Generalibus; ſecernendo quippè caſum à caſu, Theatini, Ieſuitæ, Miniſtrantes Infirmis, Somaſchi, & Patres

Scho-

Digitized by Google

Scholarum Piarum inter Mendicantes recenſentur, nonnulli quidem ex Conſtitutionibus, & alij ex Priuilegio; At horum nomine nunquam peti poteſt, vt ipſorum Generales, & Procuratores Generales locum habere debeant in Cappella, quia iſtæ ſunt Religiones Clericales, vti benè ponderat *Pellizzar. in Manuale Regul. tom. 1. tract. 1. cap. 3. ſect. 1. num. 17., & 19.*, & nullus Generalis, aut Procurator Generalis Religionis alicuius Clericalis locum habuit, aut habet in Pontificia Cappella.

33 Hiſce detractis, remanent Fratres Eremitæ S. Hieronymi Congregationis Beati Petri de Piſis; ſed præterquamquod hæc eſt parua Religio, dicti Fratres ſunt Mendicantes ex Priuilegio, vti habetur *in Conſtitutione CXXV. S. Pij V. §. 4. Bullar. tom. 2.*; Ordo quoque Carthuſianorum eſt inter Mendicantes, ſed ex priuilegio, iuxtà *Conſtitutionem XLII. Gregorij XV. Bullar. tom. 4.* In qua eadem Claſſe reponendi etiam ſunt Monaci Camandulenſes, Fratres Cruciferi, & Fratres Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum teſte *Barboſ. Iur. Eccleſ. vniuerſ. lib. 1. cap. 41. num. 224., & ſub num. 237.* Certumque eſt in Iure non valere argumentum à Mendicantibus ex Regula, & ex Conſtitutionibus ad Mendicantes ex priuilegio *Iaſon. in l. 1. num. 21., & 22. ff. de leg. primo, Natta conſ. 4. num. 6., Butr. conſ. 19. num. 10., Rota deciſ. 55. num. 14. par. 2. diuerſ., & coràm Pen. deciſ. 1090. num. 12., & ſeq. coràm Coccin. deciſ. 279. num. 3. coràm Merlin. deciſ. 855. num. 6., & in Recent. deciſ. 250. num. 35., & 38. par. 7.*, & in eo, quod attinet ad Carmelitas Diſcalceatos, dato quod iſti ſint Mendicantes ex Regula, ſiuè ex Conſtitutionibus, nemo eſt, qui non ſciat Religionem hanc eſſe reformatam, & ortum ducere à Religione Carmelitarum Calceatorum, & quamuis habeat proprium Generalem, nunquam tamen Generalis, & Procurator Generalis alicuius Religionis Reformatæ, Pontificiæ aſſiſtunt Cappellæ, in qua Generalis, & Procurator Generalis eiuſdem Religionis non Reformatæ locum habent, vti patet in Fratribus Minoribus; vt enim diximus, aſſiſtit Generalis de Obſeruantia Pontificiæ Cappellæ, aſſiſtit etiam Generalis Conuentualium, ſed hoc nullatenùs fruuntur priuilegio Generalis, & Procurator Generalis Cappuccinorum; Ex quibus omnibus colligere fas eſt, quod etiam ex capite mendicitatis, gratia, quæ petitur, concedenda videtur, & multò magis, cùm Minimorum Religio inter verè Mendicantes ſit illa, quæ immediatè ſubſequitur Religionem Seruorum Matris Dei, quibus hoc conceſſum fuit temporibus Leonis X., vti latè proſequuntur *Barboſ. Iur. Eccleſ. lib. 1. cap. 41. num. 210., & ſequen., Lezzan. quæſt. Regular. tom. 2. cap. 1. num. 1. in fine, Auctor Operis, cui titulus Theatrum Vitæ humanæ tom. 6. fol. 241.*

34 Non obſtat quartum, quod deſint exempla conſimilium gratiarum, cum ſuprà probatum fuerit, conſimiles gratias iàm conceſſas fuiſſe Seruitis, Canonicis Sancti Georgij in Alga, & Monachis Silueſtrinis.

35 Non obſtat paritèr quintum, quod Regula Cappuccinorum, Carthu-

thuſianorum, & Mercenariorum ſit ſtrictior Regula Minimorum, tùm quia gratia, quæ petitur, non innititur tantùm huic fundamento, ſed cæteris alijs ſuprà recenſitis, tùm quia veritas eſt, quod Regula Minimorum ratione ſolemnis Voti perpetuæ Quadrageſimalis abſtinentiæ ſtrictior eſt quibuſcumque alijs Regulis, vti deducitur ex Conſtitutione Iulij II., quæ incipit *Sacer Ordo* ſub data 27. Martij anni 1508., vbi hæc habentur, *& cum vita Ordinis Minimorum huiuſmodi ſit cæteris aliorum Religioſorum arctior, & ſtrictior*. Concordat Bulla Leonis X., quæ incipit = *Quamuis alias* = ſub data 18. Auguſti 1516., in qua ſic legitur. *Quamuis alias Iulius II. Prædeceſſor noſter prouidè conſiderans, quod vita, & obſeruantia Ordinis Minimorum, cùm ſit continua vita Quadrageſimalis tam in Conuentibus, & Domibus huiuſmodi, quàm extrà, cæterorum quatuor Mendicantium Ordinum, & aliorum Religioſorum ſit arctior, & ſtrictior*, quo circà *Simonetta in Relatione Canonizationis S. Franciſci de Paula*, inquit de Minimorum Religione ab ipſo inſtituta = *Præſertìm cùm nulla ſit neque arctior, neque durior, vt incredibile videatur inueniri vel paucos potuiſſe, quos abſciſſa nimis ſeueritate non deterreret*.

36 Abſque eo quod quidquam referat, quod Cappuccini tranſire non poſſunt ad Patres Minimos, & quod iuxtà *cap. Viam ambitioſæ inter Extrauagantes communes de Regularibus* prohibitus fuit omnibus Mendicantibus tranſitus ad Monachales Religiones, excepta Religione Carthuſianorum. Si loquimur enim de Cappuccinis, quemadmodùm illi tranſire non poſſunt ad Minimos, ità nec Minimi ad Cappuccinos, vti videri poteſt *in Bulla XLV. Sancti Pij V. Bullar. tom.* 2. Si loquimur deindè de tranſitu Mendicantium ad alias Religiones Monachales, excepta Carthuſiana, Auctor citatæ Extrauagantis eſt aut Martinus Quartus, aut, vt alijs placet, Martinus Quintus; Si facta eſt Extrauagans à Martino Quarto, illa longo tempore præcedit ortum S. Franciſci de Paula; ſi à Martino Quinto præcedit Inſtitutionem Ordinis Minimorum, itaùt illum nunquàm comprehendere poſſit, & præſertìm cùm pro ipſo militent poſteriores Conſtitutiones Iulij II., & Leonis X., quodque tandèm Ordo Minimorum ſit ſtrictior cæteris alijs, & Ordine ſignantèr Carthuſianorum, quia ex voto abſtinet non ſolùm à carnibus, ſed etiam à lacticinijs; & Ordine Mercenariorum, quia votum perpetuæ Quadrageſimalis abſtinentiæ non eſt conditionatum, ſed abſolutum, & vnicam habet limitationem, in caſu videlicèt infirmitatis, congeſta vndique eruditione demonſtrauit *Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus Epiſcopus Perrinezzi, noſter olìm Conſocius in Eccleſiaſtica Accademia Collegij de Propaganda Fide in ſua diſſertat.15. ad Vitam S. Franciſci de Paula*.

37 Non obſtat inſuper ſextum, quod Religio Minimorum ſit adnumeranda intèr Familias, quarum Ordo Seraphicus ferax eſt, & multò magis cum Sanctus Franciſcus de Paula nouitiatum fecerit intèr Minores; Tùm quia Minimi habent propriam Regulam ab alijs omninò diſtinctam, vti pratèr ſuprà allegatos firmat *Roderic.*

quæſt.

quaſt. Regul. tom. 1. quaſt. 5. artic. 7., tùm quia Sanctus Franciſcus de Paula, deuotionis tantùm, non verò Religionis habitum ſumpſit intèr Minores, vt ſatisfaceret voto à ſuis Genitoribus emiſſo, quod ipſe dictum votiuum deferret habitum per vnius anni Curriculum, vti colligitur ex Bulla Canonizationis, *qua cum eius Parentes animaduertiſſent, ipſum annum circitèr decimum tertium agentem, iuxtà votum per eos emiſſum Domui S. Franciſci Ciuitatis S. Marcì obtulerunt. In qua Puer in ſortem Domini electus, anno per eum exacto, nullaque profeſſione emiſſa, vocatis Parentibus, eos vt ſe ad Eccleſiam S. Franciſci de Aſſiſio, & S. Maria de Angelis, deuotionis cauſa ducere vellent enixè rogauit*, quod argumentum latiſſimè proſequitur citatus *Epiſcopus Perrimezzi in ſua diſſert. 6. ad Vitam S. Franciſci de Paula*.

38 Demum non obſtat vltimum, quod orirentur lites de præcedentia, quodque Magiſter Sacri Palatij priuaretur facultate duos eligendi ſibi benè viſos, qui ſermonem habeant in Pontificia Cappella, diebus ſcilicèt S. Ioannis Euangeliſtæ, & Aſcenſionis Dominicæ; In eo enim, quod attinet ad lites de præcedentia, cum Generalis Minimorum, vltimum intèr Generales, & Procurator Generalis, vltimum inter Procuratores locum habere debeant, non alia profectò lis exoriri poteſt quàm illa, quæ fuit Salmanticæ in funere Margaritæ Hiſpaniarum Reginæ intèr Patres Ieſuitas, & Patres Cappuccinos, quibus ſcilicèt ex ipſis locus humilior deberetur Teſte *Salgado de Reg. protection. par. 2. cap. 8. num. 40.*, & 42.; In eoque, quod ſpectat ad Magiſtrum Sacri Palatij, non eſt ille priuandus facultate ſupradicta, ſed quatenùs locus in Pontificia Cappella aſſignetur Generali, & Procuratori Generali Minimorum, inſtitui poteſt, vt bis in anno ſermo habeatur certis diebus, quibus habetur Cappella Pontificia, & ſermo nunc non habetur in illa; vel in geminis ſcilicèt Feſtiuitatibus, quæ immediatè ſubſequuntur Dominicam Pachatis Reſurrectionis, quia ſicùt habetur ſermo in Cappellis, quæ fiunt in geminis Feſtiuitatibus, quæ ſubſequuntur diem Domini Natalitiam, ità congruum videtur, vt ſermo habeatur in Cappellis, quæ fiunt in prædictis Paſchatis ſolemnitatibus; & quatenùs id non placeret, inſtitui poſſet, vt ſermo habeatur, tùm in Cappella, quæ fit in Baſilica Vaticana die Cathedræ Romanæ S. Petri, tùm in Cappella, quæ fit in Baſilica Liberiana die Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis, quia quemadmodùm ſermo habetur in Cappella, quæ fit die Aſcenſionis Dominicæ in Baſilica Lateranenſi, ità conueniens eſſe videtur, vt ſermo fiat in binis alijs Cappellis, quæ fiunt in Baſilica Vaticana, & in Baſilica Liberiana. Et horum duorum ſermonum ſuperadditio, intacta præſeruat Iura Magiſtri Sacri Palatij, vt ipſe etiam Reuerendiſſimus Pater Selleri, qui dicto munere nunc digniſſimè fungitur, mihi inſinuare dignatus eſt, vt ſuæ deuotionis erga S. Franciſcum de Paula, & amoris ſpecimen erga Religionem exhibeat.

Atque hæc dicta ſint ſub cenſura ſalua ſemper &c.

Digitized by Google

Beatiſſime Pater.

SANCTUS PIUS V. Cum occaſione declarationis per ipſum, ſub Mendicantium Fratrum Ordinibus, certis tunc expreſſis de cauſis, factæ, in qua, præter S. Dominici, S. Franciſci, ac Eremitarum S. Auguſtini, necnon Carmelitarum Mendicantium Ordines, etiam in illis B. Mariæ Servorum inſeri voluit, facilè à quibuſdam dubitari meritò poſſet, quod ſi Fratres Minimos S. Franciſci de Paula (quibus jamdudum Apoſtolica Auctoritate omnia, & ſingula privilegia quatuor Ordinum Mendicantium conceſſa fuerant) ſub illis comprehendi voluiſſet, ſpecialem etiam de illis mentionem feciſſet, ad tollendum hujuſmodi dubium ſub die 9. Novembris 1567. ſui Pontificatus anno ſecundo, ſpeciali Bulla ſic declaravit: *Omnia & ſingula Privilegia, immunitates, exemptiones, facultates, gratias, libertates, indulta, & alias gratias, tàm per nos nuper, quàm per quoſcumque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, & Sedem eamdem quomodolibet Mendicantibus Ordinibus conceſſa, ad præfatum Minimorum Ordinem de novo extendimus, & ampliamus; ipſoſque verè Mendicantes eſſe, & ſub Mendicantium Ordinibus eſſe, & comprehendi debere; necnon omnia, & ſingula Concilij Tridentini Decreta prò Mendicantibus Ordinibus declarata, & modificata, etiam prò Ordine Minimorum hujuſmodi declaramus, & modificamus.*

Et cum idem dubium à nonnullis excitari poſſit ex eo quod B. Mariæ Servi ultrà quatuor primos Ordines Mendicantes locum habent in Cappella Pontificia, quo Fratres Minimi non gaudent, Frater Michael Stela eorum Procurator Generalis Sanctitatem Veſtram ſuppliciter exorat præfato Ordini Minimorum locum in Cappella Pontificia concedere, ac deſignare non dedignetur; Et pro gratia Deus &c.

Vo-

Digitized by Google

Votum de mandato Sanctiſſimi datum à duobus Magiſtris Cœremoniarum Sacri Palatii Apoſtolici.

Beatiſſime Pater.

NIhil hæſitandum eſt, quin Generalis, & Procurator Generalis præclari, & optimè meriti Ordinis Minimorum locum in Cappellis Pontificiis obtinere poſſint. Sanctus Pius V. ſpeciali conſtitutione die 9. Novembris 1567. omnia, & ſingula Privilegia, immunitates, exemptiones, gratias, facultates, & indulta jam Ordinibus Mendicantibus conceſſa, præfato Ordini Minimorum pariter conceſſit, & indulſit; & cum alij Generales, ac Procuratores Generales Ordinum Mendicantium locum habeant in Cappellis Pontificiis, ideo vigore Conſtitutionis Sancti Pii V. tali honore etiam Minimorum Ordo à ſumma Clementia Sanctitatis Veſtræ decorandus erit, ac etiam Privilegio Sermones habendi bis in anno in Sacello Pontificio, prout gaudent alii quinque Procuratores Generales Mendicantes.

Inſuper Paris de Graſſis Cęreñ Magiſter, in Cappella habita in Laterano die 3. Decembris 1512. ante celebrationem Concilii in Seſſione Tertia, ſic habet: Generalis Servorum B. M. V. voluit cum aliis quatuor Mendicantibus ſedere, tamquam & ipſe Generalis, quod fuit ſibi gratioſè conceſſum.

Ita ad Sanctiſſimos Pedes humillimè exponit primus, ſed verè Minimus Cœremoniarius.

Candidus Caſſina.
Juſtinianus Chiapponi.

33 340526

Digitized by Google